

2. B. V. D. T. O. M.

VERITAS  
SACRÆ  
SCRIPTURÆ

RATIONIBUS PHILOSOPHICIS  
DEMONSTRATA,

Qvam

*Suffragante Ampliff. Senat. Phil. Incl. Lycei Auraisi,*

SUB MODERAMINE

Dn. ISAACI BJÖRNALUNDI

Orient. & Græc. Lingg. PROFESSORIS  
Ordinarii,

*Publico Examini modeste submittit*

DAVID STARR

*Nylandus,*

In Audit. Maximo, die 22. Junij An. MDCCXXXIV.  
horis ante meridiem solitis.

---

ABOÆ, Excud. Joh. Kiämpe Reg. Acad. Typ.

*Exce magister Boering*

S:æ R:æ M:is

MAXIMÆ FIDEI VIRO,

Illustrissimo & Generosissimo Baroni & Domino,

Dn. SAMUELI ALEXANDERSSON

Regii Regniq; Dicafterii, quod Aboæ est, PRÆSIDI,  
MÆCENATI SUMMO.

**S**ummus. Favoris. Et Benignitatis. Tuae. Fulgor. Lustrans.  
Tum. Capita. Excelsæ. Postea. Tum. Ea. Quæ. In. Imæ.  
Cernuntur. Vallæ. Vir. Illustrissime. Alas. His. Immaturis. Ad-  
didit. Pagellis. Harum. Remigio. Ad. Tuae. Jam. Magnifica.  
Volant. Limina. Heic Tremantibus. Subsistunt. Artibus. Ne.  
Aliud. Quam. Titulum. Quem Praclarum. Quidem Fronte.  
Gerunt. Rutilantibus. Tuis. Subjicere. Audent. Luminibus. Cu-  
pientes. Fulgidissimis. Gratia. Tuae. Radiis Collustrari. Heu.  
Sublimia. Quidem. Exiguus. Petunt. Pennis. Fove. Tamen. Il-  
las. Splendidissime. Sol. Ast. Fovendo. Noli. Eas. Ictibus  
Facere. Fastu. Enim. Phaetonteo. Tuos. Flammipedes.  
Tangere. Non. Flagitant. Equos. Sed. Humilius. Ad-  
pellentes. Lepibus. Benevolentia. Tuae. Auris. Circumfundit. Ex-  
optant. In. Vicem. Cujusvis. Blandi. Nutus. Ex. Intimis.  
Mentis. Recessibus. Fluunt. Vota. Ardentissima. Pro. Perenni.  
Tuae. Incolumitate. Quousque. Tuae. Tempora. Suam. Circumvol-  
vunt. Rotam. Eousque. Etiam. Tot. Dulcissima. Tibi. Eveni-  
ant. Fata. Quot. Sidera. In Æthere. Lucent. Purpureo. Mi-  
cantia. Dum. Autem. Ex. Hac. Successiva. Rerum. Serie. Tan-  
dem. Tuum. Promove. Pedem. Letabundus. Ad. Coalites. Scan-  
das. Ibiq; Circularibus. Terminis. Epulis. Accumbas. Divis.  
Hanc. Precationem. Calamo. Exaravi. Agresti. Qui. Usque.  
Ad. Tumulum. Profunde. Submissus. Permanebo. ILLUSTRIS-  
SIMI ET GENEROSIS. MÆCENATIS.

Servus devotissimus

DAVID SANDER.

Seiner Königl. Majest  
Und des Reichs Schweden Hochbetrauten General-  
Lieutenante und Obersten über ein Regiment zu Fuß/  
den Hochwohlgebornen Freyherrn  
**Herr CARL GUSTAF ARMFELT,**  
meinen Hohen Patron und mächtigen beförderer.

Tayfer Held, von hohen Stand,  
Gut und gnade, sind die treub,  
Die aus dankbarkeit und liebe,  
Züren Feder, Herz und Hand.

Ich erweg' in meiner Brust,  
Stets das gnädig sein, und Güte,  
Die Du in der zarten Blüthe,  
Mir erzeigt; mit größter lust.

Von Dir kömmt die wissenschaft,  
Daf ich in der ersten Jugent,  
Enachsamlet Zucht und Tugend,  
Wie die Bienen, Honig-saft.

Gottesfurcht, der höchste rühm,  
War bey DICH in vollen massen,  
Drum könnst meine Seele fassen,  
Se. be als ihr eygenthum.

Nun hier ist die erste pflicht,  
Die leg' ich zu DEINEN füßen,  
Lasse sie den schuß genießen,  
Den DEIN Grosmuht mir verspricht.

Gott der Helfer in der noht,  
Schütze dafür reichen Seegen,  
Über DICH auf allen wegen,  
Dieses wünscht bis in den tod.

Hochwohlgebohrner Freyherr GENERAL-LIEUTE-  
NANT und Oberster /

Untertänigster und verpflichteter  
Knecht  
**DAVID STARR.**

S:æ R:æ M:is  
Magnæ Fidei VIRO,  
REFERENDISSIMO PATRI ac. DOMINO,

**DN. DANIELI  
JUSLENIO,**

S.S. Theol. Doctōri Celeberrimo, Inclitæ Diœceseos  
Borgoensis EPISCOPO,  
Et Venerandi Consistorii PRÆSIDI Gravissimo,  
Gymnasii Scholarumqve EPHORO Adcuratissimo,  
Mæcenati Maximo.

הפעלה הזאת הקטנה הזקרה אמורה ספרי הקדש  
נתתי בדרך איש גדול התחללתי אליך לקחת את מתן  
הזה כרצון הדבר הנחקר היא טוב מאד וכי אתה  
שומר בחיריך כן חסה הוא ועזר דרש ממך אני  
אתפלל לפני אלהים על ושועתך למען היטב  
דבר תמיד ובקץ הפרוה אשריך בשמים לעולם

**Nominis Tui Reverendissimi**

*Clientis devotissimus*  
**DAVID SEARER.**

S:æ R:æ M:ris  
Magnæ FIDEI VIRO,  
*Generosissimo DOMINO*

Dn. LAURENTIO JOHANNI  
EHRENMALM,

Supremi in Finlandia Dicasterii Regii Consiliario,  
Mæcenati optimo.

**I**Te mea musa jam Mæcenatis ad ades,  
Illius genibus munusque advolvite parvum,  
Pro meritis, quibus est minor hæc pagella, peramplis.  
Non dubito vobis ita portas stare patentes,  
Ut me respexit jam dudum fronte serena.  
Optime Mæcenas, tenues has suscipe chartas:  
Non sapor est illis, nulloque colore reudent,  
Lectori ut tanto se gratas reddere possint.  
Sed veluti radiis illustrat & infima i hæbus,  
Sic tueare tuo male comtas lumine posco,  
Ausus ad pulcros acuunt tua munera lingua,  
Os mihi multa Tuum facundum suppeditavit,  
Qua mihi sculpta manent atque alta mente reposita.  
Hæc & ptura licet non tacta relinquere cogar:  
Ast tamen exstimulant ad sidera mittere vota,  
Fugiter ut vigeas sospes per Nestoris avum,  
Et tandem scandas ad celsi culmina cæli.

NOMINIS TUI GENEROSISSIMI

Cultor devotissimus  
DAVID SÄRNEN.

ADMODUM REVERENDO atque AMPLISSIMO DOMINO,

Mag. PETRO SFRLACHIO,

Ecclesiarum Pernoensium Pastori, & adjacentis districtus Præposito Gravissimo, Grandævo Avô suo venerandissimo, Patrono jugi observantiæ cultu suscipiendo.

**L**uxit tandem dies tot tantisque votis expeditus, o Nestor venerabilis, quo & mihi liceat publicum quoddam documentum venerationis mee coram oculis Tuis sistere. Placuit summo Numini, summam annorum maturitatem Tibi largiri: etatem etenim unius seculi fere jam attigisti. Hinc constat, Te sapienter, prudentissimo, atque ad nutum summi Moderatoris, Tuum direxisse vitæ cursum. Non itaque solum diu; verum etiam bene vixisti. Unde & reverentiam Tui, & gaudium, in omnium piorum, præcipue autem consanguineorum atq; clientulorum Tuorum effundis pectora. His quoniam & ego, Tua progenies, (cui & præerea per plurima peculiaria præstitisti beneficia) adnumeror; consultum duxi occasione hac data, integerrimos hos animi mei affectus, hucusque intra corticem quasi latitantes, aperte testatos facere, exiguum hoc ingenii mei factum venerando nomini Tuo tribuendo. Deus clementissimus diuturnæ felicitatis floribus Tuam spargat viam; exutaque tandem hac mortalitatis larva, letabundum in lucidissimum eternitatis sinum recipiat, ubi gaudiis nunquam senescentibus fruaris.

ADMODUM REVERENDI NOMINIS TUI

Cultor humillimus  
DAVID SÆURER.

Monſieur,

**T**out le monde eſt d'accord que la raiſon eſt le comble des perfections humaines, & que c'eſt juſtement ce précieux don dont le bon Dieu a avantage les hommes par deſſus les bêtes. Mais c'eſt une choſe bien étonnante, que la plu-part ne ſ'en ſervent que fort peu, mal à propos, ou point du tout. Pour vivre à la mode & au goût du ſiècle, il faut la regarder comme un beau fantôme de l'imagination, qui n'a rien d'eſſentiel; l'on doit imiter le procédé de l'avare, qui tient l'or renfermé dans la caſſette, & en fait ſon idole. Ce mal eſt preſque commun; cependant il y a encore une poignée d'hommes de bien, qui ſ'adonnent à cultiver ſoigneuſement cette terre fertile, je veux dire la raiſon, & je ſois aſſuré qu'ils ne ſ'en repentent pas, puisq' elle raporte abondamment. Je n'ai pas beſoin, Monſieur, de faire un long diſcours pour vous procurer un rang conſidérable parmi ces derniers; la ſavante Diſſertation que vous avez mettre au jour, parlera pour vous ſi clairement & en des termes ſi avantageux, que tous vos ſemblables, c'eſt à dire les raiſonnables, vous y rendront juſtice. Car la matière eſt relevée & a'autant plus eſtimable qu'elle

ne sent point le vulgaire, & la manière de la traiter est belle & agréable; de sorte qu'elle ne ressemble en rien au jargon de certains esprits mal-faits, qui font sotement les doctes en barboillant le papier des paroles & des pensées d'autrui, faute de savoir eux mêmes prouver la vérité de ce qu'ils avancent. En vérité, Monsieur, cette belle production d'esprit vous rend recommandable, étant une éclatante preuve de votre savoir, aussi bien que de votre zèle pour la piété, & la vertu sans fard. Elle promet à vos amis la satisfaction de vous voir dans peu en passe de faire fortune. Continuez, ainsi que vous avez commencé, & vous serez un jour bien payé de votre travail; une couronne de laurier ne fera pas tout, vous aurez certainement quelque chose de plus solide. Je suis trop votre ami pour vous flater, Monsieur, soyez donc persuadé, que c'est le cœur qui parle & que la plume en est l'interprète. Mettez moi en œuvre pour vous servir, & vous verrez que je suis véritablement.

Monsieur,

Votre très-humble & très  
affectueux Serviteur,

ADAM JOSIAS CEDERHIEM.



## Conspectus

- §. I. DEum existere probat, nonnullaque illius attributa recenset.
- §. II. De causis illius finalibus circa creationem hominis, disquirt.
- §. III. De perfectione hominis intuitu finium, differit.
- §. IV. De possibilitate imperfectionis, agit.
- §. V. Hominem esse corruptum sive imperfectum, probat.
- §. VI. illum, quatenus natura illius est corrupta, esse infelicem asseverat.
- §. VII. Sapientiae atque bonitati divinae conveniens fuisse, invenire modum quendam, hominem felicem reddendi, adeoque se atque voluntatem suam eidem indicandi, testatur.
- §. VIII. Quo potissimum modo indicatio ista fieri debuisset, dijudicat, tandemque concludit, illam fieri debere per scripturam.
- §. IX. Ex attributis divinis eruit criteria quaedam, unde scriptura illa cognoscatur.
- §. X. Criterion primum petitum a sapientia Dei, examinat, illudque in nostram Sacram Scripturam quadrare, asserit.
- §. XI. Criterii secundi, cujus occasio desumpta est ab omniscientia Dei, convenientiam cum S. S. ostendit.
- §. XII. Criterion tertium desumptum a veritate Dei, etiam ad amussim competere adstruit.
- §. XIII. Criterion quartum haustum ex justitia Dei, veritatem S. S. probare, stabilit.

- §. XIV. *Criterion quintum, docens veritatem S. S. ex omnipotentia Dei, sistit.*
- §. XV. *Criterion sextum, quod nobis offerebat bonitas Dei, de veritate S. S. loqui, affirmat.*
- §. XVI. *Criterion septimum depromptum ab independentia Dei, indicare veritatem S. S. moralem, evincit.*
- §. XVII. *Criterion ultimum sive octavum, quod agit de perspicuitate S. S. illius quoque veritatem testari, comprobatur.*
- §. XVIII. *Ex convenientia omnium criteriorum cum S. S. conclusionem quandam generalem format.*
- §. XIX. *Nonnullas etiam adhibet rationes historicas pro stabilienda veritate S. S. finemque tractationi imponit.*


DEO Duce.  
PRÆFATIO.

**N**E tibi persuadeas, benevole Lector, nos inanem, vel ab officio Philosphi alienam, in nos suscepisse operam, dum veritatem Sacrae Scripturae rationibus philosophicis demonstrare nobis proposuimus. Optandum quidem esset, eos intra pœneria Christianismi non facile reperiri, qui veritatem ac auctoritatem revelationis illius in dubium vocent. Sed quum multorum querelis profani ejusmodi homines no- tentur, qui non satis digne de sacrarum litterarum aucto- ritate sentiant: immo impii atheorum ausus omnem con- culcandi revelationem publice deplœrentur; ad confunden- dos ac profligandos potissimum hujus farinae homines cala- mum strinximus. Hec etenim gens argumentis ex lumine revelationis petitis, de veritate S. S. convinci haud potest: ideoque convincenda est iis rationibus, quæ ex principiis, ipsis familiaribus, eruantur. Principia autem omnibus fa- miliaria sunt ea, quæ rationis sunt, quibus & tota Philoso- phia tanquam fulciminibus innititur; ergo juste existima- mus, rationes philosophicas, his adversariis in prima acie esse opponendas. Idem heic accidit, quod etiam in reliqua- rum veritatum inquisitione ac demonstracione; ibi enim sup- ponuntur semper notiones quædam communes, tanquam o- mnibus notæ, quemadmodum definitiones atque axiomata &c. ex quibus deinde tota demonstratio, ipsaque veritatis con- clusio tanquam ex fonte quodam communi profluat. Nec quis- quã heic existimet, nos lumen fidei eo obfusasse, quod lumine rationis veritatem S. S. illustrare conati sumus. Longe hoc

*absit: illud enim suis splendet radiis, nec a demonstratione hac philosophica ullam passum est eclipsin: ut nec astronomus, examinans faces lune, lumen ac splendorem solis obnubilat. Hos innocuos nostros conatus existimamus potius pabulum ac oleum igni fidei suffundere, quam illum extinguere. Quid enim magis animum nostrum incitare atque permovere potest ad assensum S. S. prabendum, quam cum etiam ex principiis rationis probamus ea omnia esse vera, que antea immota fide, vera esse novimus? Sed excusatos nos habeas, si exigua haec pagella, expectationi tuae satisfacere non possint. Propositum enim nostrum fuit, his immaturis meditationibus ansam tibi prebere, solidiora de rebus hisce sublimibus ferendi iudicia. Interea nobis fave, & ea que in medium adduximus, dextre atque benigne interpretare. vale!*

Ioh. XVII. 17.

Ἁγίασον αὐτὰς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σὺ ὁ λόγος ὁ πὸς ἀλήθειάν ἐστι



I. N. J.

§. I.

**D**Emonstraturis veritatem Sacrae Scripturae, præmittenda est tractatio quædam de existentia DEi. Sed quoniam illa, si ex asse eam persequeremur, longe evaderet amplior, quam ut intra angustas hujus dissertationis pagellas includi posset: nos eam, quamquam ad probationem sequentium maxime necessariam, levi duntaxat calamo attingimus, supponentes ea omnia, quæ de hac re plenius tractari possent, ex Theologia naturali b. l. satis cognita atq; perspecta esse. Duplex in re hac dignissima rite explicanda potissimum calcatur via: una est illa, quæ dicitur a *priori*, qua ex pluribus veritatibus antea nobis notis ad existentiam summi Numinis concludimus: altera a *posteriori*, qua quasi scala quædam rerum in hoc universo existentium ad summum illius Architectum asurgimus: sive quod idem est, ex effectibus ad causam argumentamur. Illius hæc præcipua est ratio: attenti ad animam nostram, deprehendimus illam variis gaudere realitatibus,

tibus, ut cognitione, iudicio, voluntate &c. realitas etenim est omne id, quod aliquod ponit. Sed simul etiam deprehendimus realitates istas esse limitatas, i. e. ejusmodi, quæ adhuc ulteriora incrementa capere possunt. Hinc ergo quemadmodum per liberam determinationem etiam pervenimus ad notiones rerum, dum nempe ostendimus illas contradictionem non involvere: ita etiam nos removendo limites a realitatibus hisce limitatis, assurgimus ad notionem realitatum illimitatarum, i. e. ejusmodi, quæ ulterius augeri nequeunt, sed simul sunt omne id quod esse possunt. Hanc autem notionem a contradictione liberam esse, ita probamus: ad omnem contradictionem requiritur negatio; namque illa simul affirmat atque negat aliquid de subiecto: sed realitates illimitatæ, vi definitionis supra datæ, omnem excludunt negationem, ergo sunt a contradictione liberæ, & consequenter possibiles. Nec aliquid contradictorii in eo esse videtur, si statuamus omnes has realitates esse simul apud unum aliquod ens: & proinde ens simul possidens omnes realitates in summo gradu, sive quod idem est, ens absolute perfectum est possibile. Evicta jam possibilitate entis hujus, prono etiam alveo fluit, illud existere; cuicumque enim competunt omnes realitates, illi etiam competit existentia, quoniam illa etiam est una realitatum: atque enti absolute perfecto vi antecedentium competunt omnes realitates, ergo quoque existentia, i. e. ens absolute

per-

perfectum existit. Demonstrationis a *posteriori*, fundamentum petitur a contingentia mundi, i. e. quatenus aliter atque aliter possit esse constitutus. Hinc ergo rationem sufficientem, cur potius sit, quam non sit, in se ipso habere non potest, sed quærenda est ea in ente quodam extra illum constituto. Si autem illud æque sit contingens, subsistendum tandem est in ente quodam necessario, quod a seipso existit. Namque progressio in infinitum dari nequit, stante principio rationis sufficientis. Per hanc itaque duplicem viam, quam nunc breviter perstrinximus, ad hanc definitionem summi Numinis pervenimus, quod sit ens perfectissimum, in quo radicaliter continetur ratio sufficiens omnium eorum, quæ existunt, & quæabilia sunt. Ex hac definitione summi Numinis, plurima illius attributa elicere possemus: sed nos nunc saltem ea annotamus, quæ probationem sequentium maxime ingredi nobis visa sunt. 1:mo itaque ei adscribimus *omnipotentiam*, quæ est vis omnia efficiendi, quæ contradictionem non involvunt. 2:do *Sapientiam*, quæ est scientia inveniendi media, quibus finis intentus optime atque brevissime obtineri potest. 3:io *Bonitatem*, quæ est intensissima voluntatis propensio tribuendi omnibus entibus tantum perfectionum, quantum essentia eorum recipere valet. 4:to *Iustitiam*, quæ est sanctitas legibus sapientiæ convenienter administrata. 5:to *Independentiam*, qua rationem omnium eorum

eorum, quæ ei tribui possunt, continet in se ipso, adeo ut perfectionibus illius aliquid ulterius superaddi sit impossibile. 6:to *Omniscientiam*, quæ est simultanea & adæqvata omnium rerum cognitio. 7:to *Voluntatem*, quæ est promptitudo ea appetendi, quæ vere bona sunt. 8:vo *Veritatem*, quæ est summa promptitudo tribuendi objectis prædicata ipsis conformia. Hæc singula attributa divina derivari ex ipsa definitione Dei, quam nuper dedimus, existimamus cuique facile constare. Namque diximus ibidem, Deum esse ens perfectissimum: atque hæc omnia attributa arguunt maximas perfectiones: ergo Deo sunt adscribenda, eique maxime conveniunt.

## § II.

**E**X iis, quæ jam de cognitione DEi innuimus, inquirendum nobis nunc est, quænam potissimum potuissent esse causæ illius finales, si quando sibi proponeret, entia quædam intelligendi atque volendi facultate instructa, ex statu possibilitatis in statum actualitatis deducere. Audivimus eum summa gaudere voluntate (§. 1. n. 7.), & proinde quoniam nihil actualitate donatum est, nisi decernente voluntate divina, quæ tamen sine causis moventibus non movetur: tuto asserimus, existisse causas quasdam finales DEum permoventes, quare entia hujusmodi intelligentia, vel homines, aliquando conderet. Audivimus quoque eum esse independentem



(§. 1. n. 3.) : quare rationes moventes eatenus penes eum existere haud potuerunt, ut suis perfectionibus aliquid augmenti adderet. Namque ille esset æque perfectus, quamquam nullæ aliæ res præter eum existerent. Hinc ergo, quoniam ille ab æterno fruebatur omni felicitate, idque in summo gradu; & constat præterea illum esse summe bonum (§. 1. n. 3.), nullum propiorem finem videre possumus, quare aliquando homines hosce conderet, quam ut eo ipso inexhaustæ bonitatis suæ flumina in eos effunderet, eosque participes redderet felicitatis istius, qua jam ipse ab æterno delectabatur. Secunda causa finalis circa creationem hominis, & quæ ex ipso opere fuit, fuit gloriæ illius manifestatio. Namque quoniam gloria est æstimatio alterius de alicujus perfectione, & deprehendimus hominem ea facultate esse instructum, ut de rerum pretiis judicare possit: facile concludimus, eum circa creationem illius hunc intendisse finem. Sed heic etiam illud indicare volumus b. l. nos non illius esse arrogantia, ut temere in abyssum consiliorum divinorum descendere velimus: venerabunda enim mente confitemur, illius sanctissimas rationes, nos exigua nostræ rationis decempeda emetiri haud posse. Sed ita de rebus hisce sublimibus argumentamur, pro nostro concipiendi modo: quandoquidem libertas philosophandi sese extendit ad omnia possibiliâ.

B

§. III.

## §. III.

**E**volutis hac ratione caussis finalibus Dei circa creationem, hinc jam instituenda est argumentatio, qualem aliquando hominem Deus conderet, si eum condere sibi proponeret. Generaliter heic inprimis observamus, Deum, quoniam est sapiens (§. 1. n. 2.), potissimum hominem ita creasse, ut finibus suis potiretur. Sed lubet nunc penitius examinare primum finem, qui fuit, ut hominem etiam suæ felicitatis participem redderet. Felicitas autem illius in eo consistit, ut omnes suas perfectiones, omniaque possibilis distincte & adæquate cognoscat (§. 1. n. 6.), & consequenter etiam ea quæ optima sunt intensissime & serio appetat, iisque fruatur (ib. n. 7.). Hominem ergo felicem redditurus, eum hujusmodi cognitione atque appetitu in tantum instruxit, quantum per essentiam suam ille recipere potuit (ib. n. 3.). Finge autem, Deum vi omniscientiæ suæ prævidisse, se non ejusmodi perfectiones homini tribuere posse, quæ sufficerent ad eum felicem reddendum; non dubitamus statuere, sapientiæ & bonitati illius inconueniens fuisse, ut illum aliquando in auram hujus mundi produceret. Pari ratione etiam examinemus secundum finem, qui fuit, ut gloriam sive honorem suum manifestaret. Optimus homo maxime gloriam Dei manifestat: ergo Deus, quoniam optimum illum cognovit (ib. n. 6.), illum etiam elegit (ib. n. 7.), electumque produxit (ib. n. 1.). Hic itaque

itaque ex pluribus possibilibus hominibus optimus est productus, necesse etiam fuit, ut optime finem Dei promoveret, qui fuit honorem illius evehere: honor autem alicui bene tribui nequit, nisi distinctas habeamus notiones perfectionum illius, & propensam habeamus voluntatem ad eas celebrandas: ergo a Deo hominem ita creatum esse non indubie argumentamur, ut perfectiones illius recte cognosceret, voluntatemque haberet propensam ad eas extollendas.

§. IV.

CONSTITUTO hoc, nempe talem conditum esse hominem, qualem nos indicavimus, dispiciendum est ulterius, an possibile fuerit, ut homo iste aliqua ratione potuerit imperfectior reddi. Deo soli competunt omnes perfectiones in summo gradu (§. I.), ideoque a throno felicitatis suæ nunquam potest deijci. Sed reliqua omnia tantum habent perfectionum sive realitatum, quantum essentiæ eorum convenit, plura autem quam unum ens illimitatæ essentiæ esse nequeunt (a), ideoque omnia reliqua quantum ab infinitudine absunt, tantum etiam (ut dicere liceat) sunt metaphysice mala, quod malum consistit in absentia realitatum. Ex hoc malo possibiliter resultat malum morale, quod consistit in libera inclinatione animi ad ea, quæ præceptis divinis repugnant.

B 2

(a) *Bulfingeri Dil, Phil. Sect. 4. c. 2, §, 410.*

pugnant. Homo primus a Deo conditus limitatæ fuit essentiæ, i. e. metaphysice fuit malus, ( quod tamen culpæ Dei tribuendum non est, quum creaturarum rerum naturæ repugnet, terminos essentiæ non admittere, ) ideoque possibile fuit, ut aliquando incideret in malum morale. Hæc eadem res adhuc alia ratione probatur, nempe ex libertate hominis, quæ est facultas ex pluribus possibilibus illud eligendi quod optimum videtur. Deus quoniam circa creationem intendit bonitatis & gloriæ suæ manifestationem (§. 2.), omnibus realitatibus quantum fieri potuit primum hominem ornavit (§. 1. n. 3), consequenter etiam libertate: illa etenim quoque est aliqua realitatum. Per hanc itaque potuit agere A, & respuere B: potuit etiam eligere A, & rejicere B: quin & potuit vi intellectus ideas rerum distinctas, imò & adæquatas sibi comparare: potuit etiam, si ita vellet, in ideis rerum confusis, immo & obscuris subsistere, quæ imaginationis atque sensuum ope acquiruntur: ex his autem oriuntur affectus, mentis oculos occæcantes, atque perveris electiones. Possibile ergo fuit, ut homo a Deo conditus malum pro bono eligeret.

§. V.

**U**T a possibilitate alicujus rei non valet argumentatio ad illius existentiam; ita etiam nobis nunc incumbit ostendere, malum istud morale, cujus mentionem in §. præcedenti fecimus, etiam in genus mor-

mortalium influxisse, sive quod idem est, demonstrabimus hominem nunc esse imperfectum ad producendum finem Dei in creatione intentum (§. 2). Hoc ut rite fiat, in primis nobis danda est definitio perfectionis, ut inde constet, quid sit illius oppositum, scilicet imperfectio. Omnis perfectio consistit in consensu varietatis, i. e. quatenus singula ista, quæ concurrunt ad aliquam rem constituendam, conveniunt in fine isto producendo, cui destinata sunt. Homo ideo a Deo actualitate donatus est, ut esset quasi luculentissimum quoddam speculum perfectionum illius, eumque recte cognosceret appetereque (§. 2). Sed quantum ab hocce scopo discedit, in tantum etiam est imperfectus. Multis afferre nunc non lubet, unde cognoscamus hoc diluvium imperfectio- nis existisse, veritatem, pro dolor! rebus in proxima vicinia constitutis abunde testantibus. Sufficiat ergo dicere, hominem quoad utrumque compositum, corpus nempe & animam, suis laborare morbis. Illud continuis fere vicissitudinibus & infirmitatibus est expositum: hæc quoad utramque, intelligendi nempe & volendi facultatem, suis involuta est morbis. Intellectus quoad omnes suas tres operationes, adeo spissis ignorantiae nubibus est obductus, ut vix ac ne vix quidem ex illis emergere possit. Namque tota cognitio nostra adeo arctis circumscripta est limitibus, ut paucissimæ saltem sint res, ad quarum cognitionem pervenire queamus, earumque, quas

CO-

cognoscimus, quoad maximam partem notiones habeamus obscuras, nonnullarum confusas, paucarum distinctas, immo paucissimarum adæqvatas. Deum, qui est summum bonum atque nobilissimum ens, & qui ideo debuisset maxime esse considerationis nostræ, paululum omnino cognoscimus. Namque accuratissima mentis scrutatione, plura de eo cognoscere non possumus, quam saltem ea, quæ analogiam quandam habent cum realitatibus mentis nostræ (§. 1.). Sed quum per plurimam sint realitates in Deo, quibus analogum quid penes nos non invenitur; nemo dubitat, quin paucissima saltem sint, quæ de Deo cognoscimus. Non difficile foret, pluribus etiam detegere reliquarum intellectus operationum infirmitates, sed nos nunc tantum tribus hæc attingimus, tanquam ad scopum nostrum non directe pertinentia. Judicium suum prodit detectum, dum eas ideas conjungit, quæ non essent conjungendæ; & eas separat, quæ non essent separandæ; interdum ea generaliter prædicat de subiecto, quæ specialiter saltem debuissent; & contra. Ratiocinio vitium inesse deprehendimus, dum ex falsis præmissis conclusionem deducit, i. e. ex puris particularibus vel negativis syllogismum format &c. Abstineam a recensendis vitiis istis alterius facultatis, nempe voluntatis; hoc tamen addere liceat, quod aliquando per præcipitantiam ea appetat, quæ nondum recte cognita sunt; aliquando Herculis instar subsistit, nesciens quid eli-

eligat. quamve ingrediatur viam, quamquam intellectus satis distincte indicet, quid verum, quidve falsum sit. Ex his itaque omnibus quisque colligere potest, defectum esse penes hominem, adeoque intentioni divinæ circa creationem (§ 2. 3.) prorsus non respondere. Hinc ergo existimamus nos non adeo improbabiler vi rationis concludere, existitisse aliquando casum quendam, quo nobilissima hæc creatura sit corrupta. Quo autem modo malum hocce evenerit, & quænam præcipuæ fuerint circumstantiæ lapsus illius, rationi impervium est: namque est res tacti, ideoque ad disquisitionem philosophicam directe non pertinet.

## §. VI.

**O**voniam ergo constat, hominem hujusmodi maximis infirmitatibus esse immersum, ordinis ratio jam a nobis exigit, ut ostendamus, an homo in hocce statu, in quo eum jam deprehendimus, de perpetua quadam felicitate sibi possit gratulari. Ponamus nunc felicitatem hominis consistere in vera fruitione boni cujusdam. bonum autem est illud, quod nos atque naturam nostram perficere potest: anima ergo humana si erit felix, oportet vere frui ejuscemodi bono, quod naturam illius perficere possit. Placet ergo nunc ulterius disquirere, quale sit bonum istud animæ. Hinc itaque si aciem oculorum nostrorum dirigamus ad examinandas res has in to-

to universo nobis circumpositas; existimo satis abunde constare, illis statum atque naturam animæ nostræ directe perfici haud posse, quamquam lubenter concedimus, illas occasionem illi præbere, excolendi summas illas facultates, quas a summo Numine habet concessas. Possunt etiam eam quasi manu ducere ad cognitionem summi Creatoris (§. 1.): in qua quidem re maximum illi præstant usum, nihil tamen in animam introducere possunt, quod statui atque naturæ illius aliqua ratione profit. Concedimus etiam heic lubenter, animam quotidie voluptate perfundi, dum aliquod bonum evenit corpori nostro. Sed illud non fit ideo, ac si istud bonum etiam directe promoveat illius salutem; propter arctissimum tamen nexum, qui inter illam atque corpus intercedit, sibi assumit quasi partem quandam istius boni, quod corporis naturam perficit. Nemo itaque dubitat, ens aliquod nobilius, immo multo nobilius quam illa ipsa est, requiri, quod illius salutem augere queat. Sed ens istud inter res contingentes haud invenitur: ita enim anima esset infelix, si illud extra contingentium seriem non inveniret. Ex §. 1:a constat, illud ens nihil aliud esse, quam Deum; item ex §. 5:a, nos eum non recte cognoscere. Si itaque eum non recte cognoscimus, neque eum invenimus: si eum non invenimus, neque eum appetimus: si eum non appetimus, neque eum impetramus: si eum non impetramus, neque illo frui possumus, & consequenter



ter infelices reddimur, quoniam felicitas consistit in vera fruitione boni cujusdam. Experientia præterea quovis fere momento docet corpora humana destrui, i. e. privari omni vita ac activitate sua: anima autem quemadmodum est indestructibilis, (ut patet ex psychologicis,) retinet suas facultates, suamque activitatem, ac proinde avet aliquod bonum cognoscere atque perfructuare, unde voluptatem capiat. Sed corpus, amicissimus socius, in eum jam statum est reductum, ut nihil voluptatis ex omnibus iis, quæ in toto universo reperiuntur, capere possit. Hinc ergo absente re media, vi cujus voluptatem anima ex rebus contingentibus haurire potuit, absunt etiam ipsa bona, ipsæque voluptates. Eadem præterea idæ, eademque cupiditates remanent in anima: hinc ergo angor & cruciatus exsurgit, quum cupiditatibus suis satisfacere flagitat, instrumento absente, quo antea exerceri potuerunt. Nec alienum a ratione esse videtur, ut statuamus, animam post dissolutionem a corpore multo difficiliorem habere viam, vel etiam plane nullam, perveniendi ad cognitionem veri alicujus boni. Namque dum corpori fuit associata, potuit contemplatione rerum perducere ad cognitionem ejuscemodi boni, quod illi prodesse potuisset (§. 1.): sed cum organis contemplatoriis est privata, hæc via perveniendi ad cognitionem boni ei est occlusa. Homo itaque post mortem, ut sibi nunc est relictus, infelix esset futurus.

## §. VII.

**E**Xistimamus jam neminem non videre posse, at-  
 tributis divinis (§. 1.) atque intentioni ipsius  
 circa creationem (§. 2.) incongruens fuisse, ut ho-  
 minem ad ejusmodi infelicitatem, cujus nunc men-  
 tionem fecimus, destinasset: & licet hominem con-  
 stet esse culpam huius infelicitatis; bonitati tamen  
 atque sapientiæ divinæ conveniens fuit invenire mo-  
 dum, quo homini indicet, qua ratione ex hacce in-  
 felicitate ad felicitatem, quam imprimis ei destina-  
 vit, resurgere valeat. Ex supra dictis autem con-  
 stat, felicitatem illius in eo consistere, ut Deum  
 recte cognoscat, eumque appetat; hominem ergo  
 felicem redditurus, excogitavit modum quendam  
 se atque voluntatem suam eidem indican-  
 di. Nemo autem heic nobis objiciat, illud justitiæ  
 divinæ repugnare, ut amplius peculiari quodam mo-  
 do se atque voluntatem suam homini indicet, quan-  
 doquidem is ipse est culpa infelicitatis hujus sive mali  
 moralis (§. 4.). Sed quoniam Deus est sapiens (§. 1.  
 n. 2.), non fluctuamus, eum rationem quandam  
 excogitare potuisse, qua justitiæ suæ satisfaceret. Po-  
 ne ergo, eum invenisse rationem, quin & adhibu-  
 isse: toto etiam asserimus, quoniam nihil ille facit  
 sine fine (§. 2.), illum quoque semetipsum atque  
 voluntatem suam quocunque modo hominibus in-  
 dicasse.

## § VIII.

## §. VIII.

**P**ostquam jam ostendimus Deo conveniens fuisse, ut semetipsum atque voluntatem suam hominibus indicaret; nunc dispiciendum est, quo potissimum modo indicatio ista fieri debuerit. Heic imprimis illud nobis observandum est de Deo, eum, dum opus quoddam aggreditur, potius istud ita aggredi, ut ansam habeat plures quam pauciores perfectiones suas manifestandi: namque hoc magis finibus illius (§. 2.) convenit. Dum per media opus quoddam ad finem perducit, eo ipso sapientiam, præscientiam & omnipotentiam suam quasi coram ob oculos ponit: dum autem per miracula, potissimum tantum omnipotentiam suam declarat. Hinc ergo argumentamur, eum in indicanda voluntate sua evitare miracula quantum fieri possit, sed potius per media saluberrimum istud opus ad finem perducere. Certa autem signa sunt media, quibus voluntatem sive animi nostri sensa cum aliis communicamus: ergo Deum hujusmodi signis usum fuisse non dubitamus. Signa rursus sunt varia, naturæ atque artis utilissimo invento introducta. Deus itaque quoniam est sapiens, optima elegit signa, nimirum ea, quibus plenissime atque brevissime finem suum assequi posset. Sapiens etenim communiter dicitur is, qui ita sua aggredi novit negotia, ut optima media finibus apte subordinare queat. Signa optima appellamus ea, quibus plura; imperfectiora autem ea,

quibus pauciora animi nostri sensa cum aliis com-  
 municare valemus: sed sermone plura animi sensa  
 communicantur; ergo Deum eum adhibuisse, dum  
 semetipsum atque voluntatem suam indicaret, in a-  
 prico est (§. 1. n. 2.). Sermo porro dupliciter confide-  
 ratur, sive quatenus sola voce articulata prolatus  
 auditur, sive quatenus certis characteribus & litteris  
 contextus, ex scripto quodam hauritur. Ille ad præ-  
 sentes modo dirigitur; hic absentes etiam instruit:  
 ille in auras cito abit, atque custodia memoriæ æ-  
 gre tenetur: hic ad terram descendere potest posteri-  
 tatem, & si memoria excidat, facile recuperari po-  
 test. Hunc itaque Deum præ illo elegisse ex iis-  
 dem fontibus, unde præcedentia, fluit (§. 1. n. 2.).  
 Namque si Deus solo sermone ore prolato volunta-  
 tem suam homini cuiquam indicasset, ut eundem  
 ille sermonem aliis suisque posteris, & sic porro in-  
 dicaret: tum certe homines, quoniam memoria e-  
 orum est fallax, aliquid potuissent ex sermone vel  
 præceptis istis divinis oblivioni tradere. Potuissent  
 etiam ducti prava quodam philautia, sive aliquid ad-  
 dere sermoni isti, sive nonnulla silentio involvere at-  
 que tacendo præterire, aut alias pervertere. Co-  
 gnovit præterea Deus, vitium esse sensum hominis  
 perfectissimum: sapienter ergo ita aptavit, ut hic  
 præcipuum esset instrumentum illud examinandi, ubi  
 voluntatem suam expressisset. Vi etenim visus ex  
 scriptura, tanquam in horto quodam amœnissimo  
 de-

deambulantes, capere possumus dīctorum violas, exemplorum hyacinthos, sententiarum lilia, illisque instar apum incubare, nec prius avolare, quam dulcissimum mel haustum in succum & sanguinem verterimus. Scripturæ perferendæ ansam habemus, etsi a consortio reliquorum hominum remoti simus: hæc delectat semper, & commode ferri potest, etsi remotissima terræ loca esses petiturus, nec unquam recusat informationem ac institutionem, nec pretium postulat. Hæc ergo Deo optimum potuit esse medium voluntatem suam hominibus indicandi: si illam itaque aliquando cum eisdem communicaret, hanc elegit (§. 1. n. 7.).

#### §. IX.

**I**Gimus hætenus de necessitate ac possibilitate scripturæ vel revelationis cujusdam a Deo factæ: nunc circumspiciendum est nobis, an etiam revelatio ista alicubi inveniatur. Sed ne nubem pro Junone amplectamur, imprimis necessum est, ut ex ipsis attributis divinis superius positis eruamus criteria quædam, quæ instar lapidis cujusdam lydii nobis inservire possint in distinguenda atque separanda vera ista revelatione atque Deo digna, ab aliis falsis traditionibus, quæ etiam passim circumferri atque pro revelationibus venditari possunt. *Primum* itaque *critèrion* petitur ex sapientia divina (§. 1. n. 2.), intuitu cujus nihil facit frustra; si itaque revelando scripturam

ram quendam divulgavit, continebit illa talia, quæ homo solo usu rationis assequi nequeat. Namque revelatio ista, quam nos nunc quærimus, docebit nos recte cognoscere Deum atque voluntatem illius: sed hæc per naturam non recte cognoscimus (§. 6): ergo revelatio est supernaturalis, i. e. ejusmodi factum, quod ex causis naturalibus non pendet. Hæc tamen notandum est, illud etiam sapientiæ divinæ convenire, ut veritatibus istis captum humanum superantibus (quas jam veritates puras appellemus,) sint etiam eæ admixtæ, quæ ex principiis rationis demonstrari possunt, & quæ veritatum mixtarum nomine veniunt. Novit etenim Deus se ita animum hominis ad assensum veritatibus puris præbendum disponere, ad earum attentionem incitare, studiumque in eas inquirendi accendere. *Secundum criterion* sup-  
 peditat nobis omniscientia Dei (§. 1. in. 6.), vi cujus omnes veritates simul atque uno nexu distincte cognoscit. Absolum ergo est dicere, in illa scriptura, quæ ab eo sit prolata, reperiri contradictoria quædam: namque illa oriuntur ex hæsitatione atque inscientia rerum. *Tertium criterion* desumi potest a veritate Dei, namque quoniam ille est fons omnis veritatis, veritatibus naturalibus in scripto a se revelato contradicere haud potest. Hæc rursus probe notandum est, ne eas pro veritatibus naturalibus vel rationis habeamus, quæ illius non sunt; nec ut ea habeamus pro contradictoriis, quæ tamen contradictoria non sunt.

Supra veritates rationis revelatio quidem ascendere potest, inimo debet, si erit revelatio; sed ejusmodi quid, quod illis plane contrarium sit, haud quaquam continebit. Porro contradictorium est id, cujus oppositum est impossibile, adeoque circa veritatem necessariam existit: non autem id, cujus oppositum possibile, ex quo veritas contingens resultat. Illi revelatio haud quidquam contradicit; huic autem potest, quatenus oppositum illius per miraculum est possibile. Exempla rem illustrent. Veritas necessaria est, quod duæ lineæ rectæ non possint includere spatium, itemque quod omnes tres anguli in quocumque triangulo sint æquales duobus rectis; ideoque huic revelatio contradicere non potest. Sed veritas contingens est, quod sol non interrupto cursu circa terram circumvolvi videatur: ideoque revelatio (absente tamen omni contradictione) dicere potest, illum aliquando stetit, vel situm eundem terram versus retinuisse. *Quartum criterion* depromemus ex justitia Dei (§. 1. n. 4.). Nam quoniam ille est auctor omnis boni, erit etiam auctor facultatis istius, qua quid faciendum quidve omittendum sit, dignoscimus, atque legis naturalis nomine venit. Si ergo scripturam quandam divulgavit, impossibile est, ut in ea tale quid reperiatur, quod huic legi atque naturæ animæ repugnet. *Quintum criterion* erui potest ex omnipotentia Dei (§. 1. n. 1.), vi cujus ille omnia facere potest. Debet ergo scriptura

ra ab eo revelata talia tradere, quæ vel jam fecit, vel quotidie tacit, vel posthac facturus est. *Sextum criterion* hauriendum est ex illius bonitate (§ 1. n. 3.). Revelatio enim illa hominibus est necessaria (§. 5. 6.): ergo si illa alicubi inveniatur, erit referta ejuscemodi veritatibus, quæ horum salutem promovere queant. *Septimum criterion* nobis offert independentia Dei (§. 1. n. 5.), quæ ille propria virtute omnes possidet perfectiones omnemque felicitatem in summo gradu. Si itaque scripturam quandam in lucem emisit, interpretabitur illa omnino vere, minime autem false, animi illius sensa, quoniam nullæ adesse potuerunt causæ eum permoventes, cur potius falsa quam vera diceret. Voluntas etenim non movetur sine moventibus causis; ergo si quis falsa loquatur, oportet adesse moventes rationes, nempe quod perivulus sit, se inde commoda quædam esse consequuturum: quum autem Deo nova quædam commoda superaddi haud possint; incongruens est dicere, eum falsa loqui. *Octavum* tandem sit *criterion*, quod scriptura a Deo revelata eas habeat virtutes, quas alioquin liber quilibet alius bene atque cum industria conscriptus. Nempe, ut singulis verbis singulæ respondeant notiones; ut supervacanea non afferantur; nec ut scitu necessaria & ad scopum pertinentia omittantur & ut communis ac assumtus loquendi modus cum gratia quædam adhibeatur. Plura quidem adhuc hujuscemodi criteria afferri



afferri possent; sed quoniam existimamus hæc jam ad scopum nostrum sufficere, brevitati litantes potiora saltem adduximus.

§ X.

Stratam itaque divina gratia jam existimamus esse viam, qua deambulantes reperire atque dignoscere valeamus veram istam revelationem a Deo factam. Passim quidem offendimus libros, qui pro revelationibus venditantur, quemadmodum *alcoranum* Muhammedanorum & *talmud* Iudæorum. Sed eorum quisquilias examinare nostrum nunc non esse duximus; sufficiat dixisse, eas partim falsas, partim non sufficientes reperiri. In librum autem istum, quem nos appellamus Sacram Scripturam, sive Sacra Biblia, deprehendimus maxime, immo quoad omnia, quadrare criteria ista, quæ in § præcedenti recensuimus. Sed ut officio nostro satisfaciamus, hæc etiam singula, quantum per brevitatem fieri potest, a nobis sunt examinanda.

Primum nostrum criterion huic Sacræ Scripturæ convenire, existimamus cuique primo intuitu illam inspicienti constare. Tradit enim illa ejusmodi veritates, quæ longe spheram rationis humanæ transcendunt. Dicit illa Deum esse essentiam trium personarum (1 Joh. V. 7.); nos autem plura de eo non cognoscimus, quam ea, quæ analogiam quandam habent cum nostra anima (§ 1.); ut autem essentia quædam sit una, & simul distincta in tribus di-

stinctis personis, illud nullam analogiam habet cum anima nostra: ideoque ad hujus mysterii cognitionem vi rationis pervenire haud possumus. Hæc nostra S. S. dicit unam deitatis personam aliquando formam humanam suscepisse, atque a virgine natam fuisse (Gal. IV. 4. Luc. I. 35.): hoc autem mysterium nec acutissimum ingenium expiscari potest, sed oculo fidei hæc omnia sunt videnda, & de quibus agere alterius fori est. Docet etiam S. S. ejusmodi veritates, quæ ex lumine rationis innotescunt, e. g. quod Deus existat, & sit ens perfectissimum (1. Tim. VI. 15), itemque quod sit omniscius (Heb. IV. 13.), sapiens (Ps. CXXXIX. 3), independens (Ec. XLIII. 10, 11.) &c. hæc autem singula nos in præcedentibus (§. 1.) probavimus. Sacræ ergo scripturæ primum nostrum criterion exacte convenit.

### §. XI.

**P**ari ratione examinemus nunc secundum criterion, quod agit de contradictoriis. In nostra S. S. nulla eorum reperiuntur; sed omnes atque singulæ res amicissime inter se conspirant, unusque locus per alterum dextre atque bene explicari potest. Non quidem negamus, multa heic occurrere loca, quæ primo intuitu videntur quasi sibi invicem contradicentia; sed si ipsæ res accuratiori judicii bilance examinentur, reperiuntur contradictoria ista tantum esse adparentia, non autem vera. E. g. Gen. VI.

VI. 6. Deo tribuitur pœnitentia ; sed 1. Sam. 1. 29. prorsus pœnitentia a Deo removetur. Ex his ergo locis aliquis inferre potest, contradictoria in S. S. reperiri. Sed constat nobis, Deum esse summe bonũ atqve sapientem: ideoqve cum hominibus sermonem habiturus, semetipsum atqve actiones suas declarat ejuscemodi symbolis, quibus aliqua notio in mente humana respondere possit. Hinc ergo in priori loco citato non ea pœnitentia Deo est tribuenda, quæ est tristitia, orta ex agnitione mali cujusdam a nobis facti, sed ea, quæ significat displicentiam atqve detestationem mali cujusdam. Namqve novit Deus, hominem pœnitentem detestari malum, quod ex facto emergit: ideoqve hunc eundem actum penes se expressurus, voluit uti vocabulo pœnitentiæ, tanquam homini satis noto. In posteriori autem loco Deus homini indicare voluit attributum suum, nempe quod sit independens vel immutabilis: ideo etiam heic adhibere voluit terminum quendam captui humano aptatum, dicendo; Non sum homo, ut pœnitentiam agam; i. e. non sum permutabilis, sed idem semper maneo, qui ab æterno fui. Heic etiam illud notamus, tam in S. S. quam in omnibus aliis libris, singulis verbis non alias supponi posse notiones, quam eas, quæ ex rebus præsentibus atqve materia substrata eliciuntur. Hanc regulam si quis observaverit, & si præterea auxiliis hermeneuticis aliis fuerit instructus; satis ei constabit, nulla in S. S.

reperiri contradictoria, adeoque secundo nostro criterio eadem responderet.

§. XII.

**C**onvenientiam tertii criterii nostri cum S. S. nimirum quod veritatibus naturalibus non contradicat, existimamus etiam cuius constare. Nullum enim prædicatum subiecto addit, cuius ratio sive in essentia sive in attributis illius non contineatur. Sed potest quis in nos insurgere, dicendo, in sacris litteris etiam adhiberi contradictoria dum Deo, quem tamen spiritum esse novimus, tribuitur extensio. namque fit ibi multis in locis mentio oculorum, aurium atque manuum illius &c. Sed ad hæc singula respondeamus, quemadmodum jam in §. præcedenti innuimus: istud nimirum sapientiæ divinæ convenire, ut patiat se ita describi, quo homines facilius aliquam notionem illius sibi comparare queant. Oculi enim nostri cum omniscientia Dei qualemcunque habent convenientiam, adeo ut quemadmodum nos auxilio illorum notionem nobis comparamus corporum circumjectorum, ita etiam Deus vi omniscientiæ suæ notionem habeat adæquatam omnium rerum. Hoc ergo attributum suum dum homini notum facere voluit, dixit se oculis gaudere, quoniam ipse vidit, hominem potissimum ea de ipso percipere, quæ analogiam quandam habent cum suis perfectionibus. Veritatibus quidem contingentibus hæc nostra S. S. con-

contradicit: narrat enim Christum aliquando in superficie aquæ deambulasse (Matth. XIV. 25. 26.) & quæ plura sunt; quum tamen experientia doceat, omne corpus fluido gravius, si in illud injiciatur, fundum petere. Sed hinc nulla inferri potest contradictio: leges enim motuum non sunt absolute necessariae, sed sunt contingentes: ergo quamvis S. S. illis contradicat, contra veritates naturales dixisse tamen non est censenda, & consequenter congruit cum hoc tertio nostro criterio.

### §. XIII.

**N**on sine insigni quadam voluptate quisque perlegens S. S. reperire potest, etiam quartum nostrum criterion illi tribuendum esse. Namque unusquisque illius verliculus virtutis studium auget atque promover, inculcans nobis quid faciendum, quidve omittendum sit, haud ab simili ratione quam ipsum jus naturæ, quamquam aliquando ejusmodi tradit præcepta, de quibus hoc filer. Deo tamen digna atque justitiæ illius convenientia esse probantur, nec ea præcipiunt, quæ essentiæ animæ nostræ repugnant. Proponit scilicet S. S. nobis officia, quæ præstanda sunt Deo, nobismet ipsis, atque aliis hominibus: hoc etiam est officium juris naturalis: ergo nulla inter utraque hæc lumina est repugnantia, & patet veritas quarti nostri criterii.

### §. XIV.

## §. XIV.

**V**eneratione perfundatur cujuscunqve S. S. legentis animus dum etiam videt quintum nostrum criterion eidem competere, Dicitur enim illa mundum aliquando per potentiam Dei conditum esse, & illum jam conditum deprehendimus, Assuevit illa, Deum virtute sua eundem sustentare (Psal. XXXVI. 7.): & hoc ita fieri omni momento jucunde experimur. Docet mortuos aliquando esse resurrecturos (Matth. XXII. 31.) atq; hujus rei veritatem nec ratio plane ignorat: ergo S. S. omnipotentiam Dei declarat, vere testando de operibus divinis præteritis, præsentibus atqve futuris, hinc etiam convenientia quinti criterii nostri cum S. S. evincitur,

## §. XV.

**I**nsigni lætitia permoveatur cujuscunqve pii S. S. lectoris animus, deprehendens convenientiam sexti nostri criterii cum illa. Totus etenim labor atqve nervus illius eo redit, ut felicitatem hominis provehat. Nihil nunc dicam de insigni isto usu, quæ præstat Republicæ: hæc res clare constat omnibus, & plurimi etiam de illa scripserunt. Fit præterea in illa mentio restorationis imaginis divinæ penes hominem (Col. III. 10.): fit mentio mansionis cujusdam divinæ apud hominem, verbum Dei tenentem (Joh. XIV. 23.): fit etiam mentio summæ cuiusdam felicitatis, cujus participes dilecti Patris aliquando red-

reddantur ( Matth. XXV. 32. ): adeo ut tota hæc S. S. nihil aliud esse videatur, quam abundantissimum quoddam flumen bonitatis atque misericordiæ divinæ. Sextum ergo criterion nostrum hujus quoque veritatem testatur.

### §. XVI.

**E**Xamen septimi criterii nostri maximum quidem nobis facescit negotium, quandoquidem nobis non est concessum introspicere in mentem divinam, indeque elicere, an etiam ea, quæ in hac nostra S. S. traduntur, haberi possint pro veris animi Divini sensibus. Unicuique constare existimamus, nobis heic esse sermonem de veritate S. S. morali: veritatem autem moralem definimus, per convenientiam animi sensuum cum verbis, sive signis externis. Juvant in hac re negotium nostrum ea, quæ in præcedentibus adduximus: nempe quod vere loquatur de justitia ( §. 13. ), veritate ( §. 12. ), ac omnipotentia ( §. 14. ) Dei; si ergo de his vere loquitur, & Deus non alia quam vera loqui potest ( §. 1. n. 8. ): sequitur illam vera animi Dei sensa nobis exprimere. Sed videri forsan alicui potest, ea loca in S. S. quæ de rebus quibuscunque indignioribus agunt, præcipue ea, quæ nequitas atque enormia quædam scelera humana proponunt, non esse summo quodam Auctore digna. Si autem sapientiam divinam prescius meditamur, deprehendimus etiam eidem con-

venire

venire, ut in verbo suo ea patiat<sup>ur</sup> annotari, quæ male atque perverse ab aliis hominibus facta fuere, quò nos inde ansam nanciscamur detestandi atque averfandi ea, quæ sanctissimæ illius voluntati repugnant. Fuit præterea finis Dei circa revelationem verbi sui, quæ namadmodum & circa reliqua opera illius, ut bonitatem suam hominibus indicaret (§. 2.), hinc ergo flagitia malorum hominum etiam annotari jussit, ut eo ipso indicaret, se propter summam suam bonitatem non confestim prorsus rejicere gentem quandam impiam. Vere etiam heic asserimus, in omnibus istis, quæ in hac nostra S. S. traduntur, immo etiam in simplicissimis hisce historiis, maxima sapientiæ divinæ vestigia adparere. Sapientiam etenim alicujus judicamus ex consensu atque tendentia mediorum ad finem & scopum sibi propositum. Finem revelationis esse novimus, ut homini naturaliter considerato infelici (§. 6.), indicet, quæ ratione ad majorem quandam felicitatem assurgere possit, i. e. quæ ratione Deum, qui eum felicem reddere potest, recte cognoscat, eumque serio appetat. Si ergo totam S. S. accuratius rimemur, satis superque nobis constabit, ea omnia quæ ibi traduntur, instruere atque informare hominem, quæ ratione se abstineat ab amore eorum, quæ minus bona sunt; & ea serius appetat, quæ magis bona sunt, atque felicitatem illius provehant. Qui tranquillâ conscientia, atque animo amore summi Numinis perfuso



S. S. perferutatur, satis superque ex omnibus iis, quæ ibi quasi theoretice saltem propofita esse videntur, jucundos eruere poterit ac varios sensus reconditos, ad justitiam atque pietatem sectandam illum maxime exstimulantes. Quid, quæso, servitus atque reductio ex Ægypto alud sibi volunt, quam ut simul indicent, hominem, dum illecebris sensuum suorum obedit, esse in statu servitutis: dum autem cogitationes atque appetitum suum dirigit ad summum bonum quærendum, tunc primum venire in tranquillam quandam Canaan, felicitatisque melioris participem reddi. Omnes ergo res historicæ, quæ in S. S. traduntur, sunt Deo dignæ, quoniam sapientiam atque summam bonitatem illius arguunt, & consequenter sunt vera animi Dei sensa. De veritatibus istis puris, quæ in S. S. adhibentur, plura non dicemus: quisque enim videre potest, illas ex summo animi Dei fundo profectas esse. Nexus earum singularis, summa sublimitas, ac efficacia ad finem intentum obtinendum, satis superque testantur, Deum ita cogitasse, quemadmodum illæ coram oculis nobis sistunt. In §. 10. innuimus, has veritates ex principiis rationis demonstrari non posse; nihilo minus tamen heic vi rationis asserimus, illas ea prædicare quæ Deo digna sunt, atque attributis illius conveniunt. Namque maxime extollunt perfectiones divinas adeoque mirifice augent atque pleniorum reddunt notionem illam, quam nos ex rati-

one de Deo habemus. Sed nos, ubi notionem illam definivimus, diximus, Deum esse ens perfectissimum (§. 1.). Si ergo ex ratione nobis constat Deum esse ens perfectissimum, constat etiam ea loca esse vera, quæ in S. S. Deo perfectiones quasdam tribuere deprehendimus. Adeoque hinc jam patet, has veritates puras esse logice veras; i. e. ejusmodi prædicatum tribuunt subjecto, quod ei dem vere convenit. Porro ad omnem veritatem logicam requiritur consensus judicii cujusdam cum objecto: sed veritates puræ objectum judicii humani esse nequeunt (§. 10.): ergo requiritur judicium quoddam superius, cujus objectum esse possint. Entia autem judicandi facultate instructa alia, præter Deum atque homines, dari ratio non perspicit. Si ergo humani judicii objecta veritates puræ esse nequeunt, erunt Divini. Si sint Dei judicia, & illa in S. S. expressa deprehendimus, indicabunt nobis vere animi illius sensa, quandoquidem nullas videre possumus causas, Deum permoventes, cur falsiloquium adhibeat. Falsiloquium etenim tum imprimis adhibetur, quando non alia supersunt media ad finem quendam legitimum obtinendum. Sed Deus, quoniam est sapiens, ejusmodi adhibet media ad fines suos obtinendos, quæ non repugnant sanctitati illius, vi cujus omnes perfectiones suas continet in se ipso, sine oppositi cujusdam mixtura. Impossibile itaque est, ut Deus falsa loquatur; & consequenter

ter hæc nostra S. S. vera animi Dei senta nobis exprimit: unde etiam fluit, septimum nostrum criterion argumentis ex veris fundamentis petitis veritatem S. S. stabilire.

§. XVII.

**R**estat saltem octavum sive ultimum nostrum criterion, quod etiam nunc examini subicietur, Postulat illud, ut ostendamus in S. S. singulis verbis suas respondere notiones. Quid autem notio sit, omnibus constat; nimirum est rei alicujus in mente repræsentatio. Mentionem heic tecimus notionis in genere; ideoque si in S. S. occurrant ejusmodi verba, quibus in mente humana notio quædam respondere non possit, pro vocabulis inanibus tamen non sunt habenda, quandoquidem datur intellectus quidam superior (§. 1. n. 6.), in quo notio his respondens reperiri possit. Hujusmodi verba plurima inveniuntur in S. S. imprimis ubi sermo est de Deo, illiusque operationibus: nos autem minime eorum notionem assequi valeamus, cum nihil iis simile in nobis reperiamus. Quum autem verba ista ea proponant, quæ Deo digna sunt (§. 16.), negandum non est, quin ille notionem eorum habeat distinctissimam. Nec ab simile huic rei etiam reperitur in humanis rebus, ubi unus notionem habet alicujus rei, cujus tamen alter habet nullam. Pone e. g. aliquem loqui de gustu vini cujusdam dulcissimi nuper percepto, tum quidem ille habet notionem vini istius; alter autem,

qui ex sermone non sibi notionem quādam istius formare posset, erubesceret asseverare alterius istius verba esse sonos sine mente, siquidem cognoscat eum loqui de re sibi perspecta. Reliqua autem verba in S. S. quæ mysteria non attingunt, adeo sunt perspicua, ut quisque facile illis jungere possit notionem menti auctoris conformem. Sed heic rursus notandum est, in S. S. occurrere ejuscemodi verba, quæ requirunt praxin quādam (quemadmodum tota S. S. est practica) antea quam aliquis pervenire possit ad distinctam eorum cognitionem. Fit etenim ibi mentio *παλιγγενοίης* Matth. XIX. 28, fit mentio *μετανοίας* Matth. III. 8. &c. hæc singula sunt verba, ad quorum distinctam notionem aliquis pervenire non potest, nisi etiam in ipsa re ea experiantur, quæ verba præ se ferunt. e. g. Christus, dum cum Nicodemo loquitur de regeneratione, item Iohannes jubens Phariseos pœnitentiam agere; nullam vocabus definitionem addiderunt, ideoque supponuntur voluisse, ut quisque his vocibus eam jungat notionem, quam homo in se ipso intuetur, dum regeneratur, vel dum pœnitentiam agit. Placet rem illustrare exemplo. Fac, e. g. aliquem tibi describere arcem quādam pretiosissimam, nunquam a te visam: tum quidem qualemcunque notionem arcis istius tibi formare posses; sed illa tamen esset valde lubrica, nec unquam notionem illius distinctam tibi comparares, nisi aliquando ipse eandem oculis sub-

leceris. S ergo S. in se spectata est perspicua, quamquam relative possit esse obscura, adeoque singulis verbis in S. S. suæ respondent notiones. Nec quisquam existimet, in hac nostra S. S. supervacanea afferri: singula enim quæ ibi afferuntur, tum ad vitam Christianam, tum etiam civilem promovendam (§. 10. 13.) maxime faciunt. Sed videri forsitan alicui posset, in ea tautologias adhiberi, quoniam ibi eadem res sæpius repetuntur: e. g. quatuor isti Evangelistæ fere de iisdem rebus narrationem instituerunt, sic etiam libri Regum ac Chronicorum fere earundem rerum mentionem faciunt. Sed hoc sapientiæ divinæ tribuendum est: novit enim Deus, homines potius fidem habituros esse verbis ipsius, si plures essent testes convenientes atque concinentes in eorum expositione. Nec scitu necessaria & ad scopum pertinentia heic omissa sunt: etenim scopum revelationis esse diximus, ut hominem informet, quæ ratione tandem felix evadat; hæc autem omnia in hac ex arte pertractata sunt. Nihil nunc addam de jucundo atque faceto dicendi genere, quo se etiam perspicuam reddit hæc nostra S. S. nitide enim & perspicue res proponit: interdum tamen veritatem quasi casto quodam velamine tectam exhibet, ut rerum pondera in animis legentium eo altius imprimat, & assensum leniter eliciat: adeo ut vere dicamus, hanc multis parasangis eloquentiæ Demosthenæ atque Ciceronianæ præstare. Sed offendere ali-

aliquem ulterius posset stili istius varietas, quæ in hac nostra S. S. adhibetur. Sic e. g. videmus Esaiam adhibuisse sublime quoddam stili genus: cæteri autem Prophetæ ad tantam stili majestatem non surrexerunt. Sed hujus rei explicatio itidem fluit ex sapientia ac bonitate Dei, intuitu cujus ille voluit sese etiam aliquantum applicare ad captum eorum, adeo ut ipsi etiam intelligerent, quid scriberent: interim tamen unus potuit esse Deus, qui per miraculum illis indidit quod litteris mandarent. Sic e. g. unus est musicus Organicus, qui organum tractat pneumaticum: tamen variæ istæ tibix pro diversa sua constitutione diversas edunt voces: sed quatenus singulæ hæ voces consentiunt atque conveniunt ad mulicam quandam harmoniam constituendam, eatenus etiam hæc dicitur esse perfecta. Ita & uno Spiritu afflati omnes scriptores sacri, eloquia Dei narrarunt, quamquam pro diversa ingenii constitutione diversum stili genus sequuti sunt: quatenus tamen consentiunt inter se, perfectum systema revelationis condiderunt. Qui cognitionem linguarum authenticarum in potestate habet; satis etiam apprehendit, communem atque receptum loquendi modum in istis linguis satis accurate adhiberi. Nec negamus, maximam quoque S. S. elegantiam elucere in iis linguis, in quas iam translata est. Meridiana itaque luce jam clarius esse existimamus, etiam hoc ultimum nostrum criterion S. S. convenire.

## §. XVIII.

**Q**uid amplius desideras b. l. Necessitatem revelationis cujusdam probavimus (§. 6.) illius possibilitatem ostendimus, & modum quo fieri debuerit inquisivimus (§. 7.): eumque scripturam quandam debere esse deprehendimus: substravimus postea criteria quædam (§. 9.), unde illam cognosceremus. Jam autem non sine singulari quâdam animi voluptate convicti sumus §:is hisce proxime præcedentibus, omnia hæc criteria exactissime convenire huic nostræ S. S. Quis ergo dubitat, quin jam ad generalem quandam conclusionem instituentam tuto nosmet accingere queamus? nimirum quum viderimus, hanc nostram S. S. omnia ea habere requisita, quæ unquam requiruntur a vera quâdam revelatione: esse talem, ut homini naturaliter considerato infelici, indicet, qua ratione Deum agnoscat, adeoque felix reddatur (§. 6.): hanc maxime fines Dei (§. 2.) promovere hanc attributis divinis esse convenientem, atque summo quodam ente (§. 1) dignam: ideo eam a Deo latam esse, eumque illius esse auctorem, argumentis satis convicti agnoscimus, credimus, testamur. Si Deus illius est auctor, qui est fons omnis veritatis (§. 1. n. 8) erunt etiam omnia ea, quæ ibi pertractantur, exactissime vera, adeo ut omnes res ita sese habeant, quemadmodum illa narrat & explicat. Habet ergo S. S. veritatem logicam, cujus definitionem in §. 16. dedimus.

mus Si præterea Deus est Auctor illius, respondet hæc tanquam *ἔτιονθ' ἀρχετύπω* suo, nempe ideæ Dei: unde evincitur illius veritas metaphysica, quæ consistit in ordine eorum, quæ rei conveniunt. Si denique Deus est Auctor illius, & id sanctitati illius repugnat, ut aliter animi sui sensa nobis exprimat, quam in ipsa re sese habent; patet etiam S. S. esse moraliter veram (§. 16); adeo ut omne veritatis genus conveniat huic nostræ Sacræ Scripturæ.

### §. XIX.

**O**btinuumus jam Deo duce scopum nostrum, dum nempe declaravimus S. S. esse logice, metaphysice atque moraliter veram. Non quidem negamus, per plurima adhuc ex fundamentis historicis erui posse, quæ hujus rei dilucidationi aliquid addere possent. Sed quoniam nos in præsentis instituto proposuimus nobis, demonstrare veritatem S. S. solis rationibus philosophicis; ea omnia quæ ex historicorum fontibus fluunt, sic præterivimus pede. Non tamen continere nos valemus, quin etiam lætè nonnulla ex principiis historicis petita addamus. Atque imprimis veneramur summam sapientiam divinam in eo, quod uti voluerit ministerio ejusmodi hominum ex infima plebe, quales Apostoli fuerunt in novo, atque plerique Prophetarum in veteri testamento, in verbi sui prædicatione atque divulgatione. Namque novit illos non adeo detentos fuisse

variis



variis præjudiciis philautiæ atqve auctoritatis, sicut alioquin illi fuerunt inter Judæos, qui aliquid supra vulgus eminebant. Fuit præterea ea ratio sapientiæ divinæ, ut populo adimeret omnem ansam cogitandi, ea quæ de rebus divinis illi pronunciarunt, esse nata ex eorum cerebro; sed potius eis persuaderet, Numen ipsum esse actore atqve auctorem omnium eorum, quæ illi dixerunt atqve litteris mandarunt. Solus quidem Paulus, illustre illud lumen Apostolorum, ex scriptoribus novi testamenti, satis informatus atqve eruditus fuit in Philosophia atqve præceptis istis Judaicis; tamen ad Romanos scribens (c. I. 1), dixit se esse δούλον Ἰησοῦ Χριστοῦ, servum IESU Christi; i. e. quemadmodum servi apud Romanos omnia sua opera pro arbitratu domini atqve in illius usum convertere debebant; ita etiam de se dicere vult: non licitum est mihi aliquid facere proprio ausu circa verbi divini prædicationem; sed tantum ex nutu atqve instinctu divino omnia mea verba profluunt. Item alibi (1. Cor. II. 2,) ita de se fatetur; Οὐ γὰρ ἔλαβον τὴν εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τὸν ἐσταυρωμένον, non enim me judicavi quidquam scire inter vos, nisi IESUM Christum, & hunc crucifixum. Mirifice etiam illud fidem nostram auget, quod deprehendimus tum ex S. S. tum etiam ex historia ecclesiastica, hos sacros scriptores, S. S. conscribentes, dispersos atqve disseminatos fuisse in diversis terræ locis; tamen videmus eos de iisdem rebus adeo in-

ter se concordēs , ut unus alteri nihil quidquam contradicat. Hoc autem cum fieri non potuerit , nisi invicem convenirent; patet illos per miraculum quoddam in scribendo ductos fuisse. Sed quum nemo alius possit miracula edere, nisi Deus; sequitur hunc illis indidisse quid chartæ proderent. Nec exiguum momentum huic adfert rei, quod non ab aliis audita narrarunt , sed ipsimet fuerunt testes præsentēs, oculati atque auriti omnium eorum , quæ scripserunt. Unicum adhuc addemus, unde evanescat omnis suspicio falsiloqvii, tam de veteris, quam de novi testamenti Scriptoribus. Constat etenim, illos ex pronuntiatione verbi Dei, prorsus nulla vel exigua solum habuisse commoda; sed maximis calamitatibus, maximisque persecutionibus quotidie fuisse oppressos; quin etiam tandem propter confessionem verbi divini exquisitissimis cruciatibus sese exposuisse, vitamque cum sanguine profudisse. Harum autem rerum sciendi cupidos modeste ablegamus ad libros historicos ecclesiasticos, quos desiderii illorum in hac re satis facturos esse speramus. Interim tamen ex his, quæ adduximus, colligi posse arbitramur, sacris scriptoribus omnino fidem esse habendam, eorumque doctrinam, scilicet S. S. ab omnibus hominibus esse amplectendam, hanc unicum esse medium, quod nos cognoscimus, hominem felicem reddendi: in hac omnem spem atque fiduciam collocandam esse.

Hæc itaque subsistimus, portum atque quietem  
jam-

jamjam petituri, postquam exiguo nostro cortice aliquantulum circumnatavimus: quietem autem quarimus in gratia atque favore divino, ex summo animi fundo optantes, ut nos atque omnes pii Saceræ Scripturæ scrutatores participes reddamur mellæ istius jucunditatis atque fructus, quem sincera illius perfectio secum habet conjunctum; donec tandem istud, quod nunc ex ea tanquam per speculum quoddam intuemur, visuri sumus facie ad faciem, plaudentes atque clamantes hoc dulcissimum trisagium

Angelorum: קדוש קדוש קדוש יהוה הצבאות

Soli DEO Gloria.

Monfieur!

**C**omme la présence diminue la réputation, l'absence l'augmente. Les choses les plus excellentes perdent peu à peu leur lustre, quand elles sont incessamment exposées à vos yeux; mais après les avoir perdues, on les regrette avec tendresse & un desir insupportable. Il n'ya donc point de merveille, que le bruit de votre dessein m'aye rendu si content, que je n'aie pu m'empêcher de vous le témoigner par ces lignes pour un temoignage de mon affection & de l'inclination, qui me fait prendre part au bonheur, qui vous arrive. Car on dit, que vous avies envie de mettre au jour l'ouvrage de la verité de L' Ecritive sainte, demontree par les raisonnemens philosophiques. Cette agreable nouvelle m'a rejoui sensiblement. Permettez pourtant, Monsieur, que je m'intereffe à votre prosperité, vous souhaitant de tout mon cœur, que vous jouissiez toujours de tout le bonheur imaginable.

D'Upsale ce 25. Avril

1734.

LAURENT SALVIUS.

Då Wällårde Herren  
Herr DAVID STARK /  
Wid Ubo Universitet beröml. disputerade  
skref detta  
I. H.

**D**En werldsens brusand' haf, så wida undangådt,  
At klippor, blinda stjär och grund des skryp ej söta,  
Har och på lustars ström hys sig en dämning sår,  
Och kan den starkas macht i andlig rustning möta.  
Ja den sin tankar stads i bete låter gå  
Uth på den stöna ång, som ej förändring lider,  
Den uti ewighet i sågning wände sig,  
Samt på sin wida rymd en härlig lukt utsprider.  
Jag menar, den som har til sichten mål sin Gud,  
Och för hans anlets stien i daglig fruktan wandrar,  
Högt wördar all hans lag, hans rätter, stadgar, bud,  
Och alt det jordiskt är uti sin själ förändrar.  
Han gör sig winning om, at han må andra så,  
Til den lyckalighet, som han i Gudi åger,  
Och fast der wid en tyngd hans skuldror trycka må,  
Har mindre det likwäl än som för intet wäger.  
Ej sådant sinnelag ha alla lufens barn,  
Och äro lufens Ja'r i det som annat life;  
Ty han och frija wil från mörckres band och garn,  
Samt unna arfwelott uti sitt sälla rike.  
Nu om min goda wän jag frutt det wärd bår,  
Doch mig til sådant mål ej såsång affsicht drifwer,  
At han sin slappare för all ting håller hiär,  
Och uti menlöshet des macht sig undergiver.  
Han har och kärleks wärck betygat; ty man ser,  
Hur' som hans witra wof wänd' til det må et lyfta,  
At den i dödsens ång och mörcker ligger när,  
Wör genom ordek kraft sig up från sioftet lyfta.  
Håll nu min kärre Wän til goda dese slag:  
Ty jag ej machar mer min karpes strängar rera,  
Eh' t'ohet fordrar wäl af mig rart rena teg,  
Men jag kan driften ej til hög're grad uplöra.